

PIÈCES JUSTIFICATIVES

1

Premier traité entre Philippe VI et Alphonse XI.

Vincennes, février 1337, (n. st.)

Philippus Dei gratia Francorum rex, universis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus nos quasdam infrascriptas vidisse litteras, tenorem qui sequitur continentes:

Noverint universi prestantes litteras inspecturi, quod ego Fernandus Sancii miles, in regno Castelle major notarius ac serenissimi principis domini mei domini Alfonsi Dei gratia Castelle, Legionis, Tholeti, Gallecie, Sibillie, Cordube, Murcie, Giennii et Algarbii regis illustris ac comitatus Moline domini procurator et nuncius specialis ac consiliarius dicti domini regis et principis, et ego Robertus Bertrandi, miles, marescallus Francie ac serenissimi principis domini mei domini Philippi eadem gratia Francorum regis illustris procurator et nuncius specialis ac consiliarius ejusdem domini regis et principis, constituti, licet diversis temporibus et divisim a regibus et principibus memoratis ad tractandum, ordinandum, faciendum et firmandum pro dictis regibus et principibus et eorum nomine seu cum illis quos iidem reges et principes ad hoc duxerint deputandos et eorum quolibet, compositiones, vincula et amicitiarum ligamina prout in procuratoriis dictorum dominorum regum et principum litteris quorum tenores inferius sunt inserti, plenius continetur. Tenor siquidem procuratorii dicti domini regis Castelle ac serenissimi principis talis est:

Noverint universi presentis procurationis litteras inspecturi, quod nos Alfonsus Dei gratia Castelle, Legionis, Tholeti, Gallecie, Sibillie, Cordube, Murcie, Giennii et Algarbii rex ac comitatus Moline dominus facimus, constituimus ac etiam ordinamus nostrum certum, verum et legitimum procuratorem ac nuntium specialem nobilem virum Fernandum Sancii, militem, in regno Castelle majorem notarium ac consiliarium nostrum fidelem, ad tractandum, ordinandum, faciendum et firmandum pro nobis et nostro nomine cum serenissimo principe Philippo Dei gratia rege Francie illustri vel cum illis quos idem rex ad hoc duxerit deputandos, compositiones et amiciciarum ligamina, sic quod ex puro corde nos mutuo diligamus et ad invicem unus alteri in nostris agendis prestemus juvamen, consilium, auxilium et favorem, dantes nichilominus dicto procuratori nostro plenam et liberam potestatem ac speciale mandatum ad jurandum in animam nostram et prestandum homagium quod tractata et ordinata, facta, composita, firmata et procurata per eum in premissis et quolibet premissorum et conditiones super hiis adjectas observabimus et tenebimus bona fide, et ad recipiendum juramentum et homagium a prefato rege Francie vel ab eo vel ab eis qui ad hoc per dictum regem deputati fuerint quod premissa omnia et singula similiter observabit, promittentes nos ratum, gratum, firmum perpetuo habituros quicquid per dictum nostrum procuratorem, actum, ordinatum et firmatum fuerit in premissis et quolibet premissorum et pertinentibus et dependentibus ex eisdem, et juramus ad sancta Dei Evangelia per nos corporaliter manu tacta, ea tenere et perpetuo observare, et ea nichilominus ratificabimus in convento termino per nostras litteras sigillo nostro pendenti munitas, ad perpetuam roboris firmitatem. In cujus rei testimonium, presentibus litteris nostris fecimus apponi sigillum. Datum in castris super Lermam, decima quinta die septembris, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto.

Tenor vero procuratorii dicti domini regis Francie et serenissimi principis talis est:

Philippus Dei gratia Francorum rex, universis presentes litteras inspecturis salutem. Noveritis quod nos facimus, constituimus ac etiam ordinamus nostrum certum, verum et legitimum procuratorem ac nuncium specialem nobilem virum Robertum Bertrandi militem et consiliarium nostrum ac marescallum Francie, ad tractandum, ordinandum, faciendum et firmandum pro nobis et nostro nomine cum serenissimo principe Alfonso Dei gratia Castelle, Legionis, etc....., vel cum illis quos idem rex ad hoc duxerit deputandos,

compositiones et amiciciarum ligamina, sic quod ex puro corde nos mutuo diligamus et ad invicem unus alteri in nostris agendis prestemus juvamen, consilium, auxilium et favorem, dantes nichilominus dicto procuratori nostro plenam et liberam potestatem et speciale mandatum ad jurandum in animam nostram et prestandum homagium quod tractata et ordinata, facta, composita, firmata et procurata per eum in premissis et quolibet premissorum et conditiones super hiis adjectas observabimus et tenebimus bona fide, et ad recipiendum juramentum et homagium a prefato rege Castelle vel ab eo vel ab eis qui ad hoc per dictum regem deputati fuerint quod premissa omnia et singula similiter observabit, promittentes nos ratum, gratum et firmum perpetuo habituros quicquid per dictum nostrum procuratorem actum, ordinatum et firmatum fuerit in premissis et quolibet premissorum et pertinentibus et dependentibus ex eisdem, et juramus ad sancta Dei Evangelia per nos corporaliter manu tacta, ea tenere et perpetuo observare, et ea nichilominus ratificabimus in convento termino per nostras litteras sigillo nostro pendenti munitas, ad perpetuam roboris firmitatem. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum presentibus litteris fecimus apponi. Datum apud Luppam prope Parisius, die xiii^a decembris, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto.

Consideratis mutuis affectionibus, benivolentiis et amiciciis quas uterque rex sibi ad invicem pro se, heredibus seu successoribus suis in regnis predictis habet, vult et intendit habere, tractamus, ordinamus, facimus et firmamus nomine procuratorio et virtute dictarum litterarum procuratoriarum quilibet nostrum procuratorum pro rege et principe qui eum constituit compositiones, vincula et amiciciarum ligamina que sequuntur perpetuis temporibus observanda:

Videlicet quod dicti reges et principes pro se et eorum heredibus seu successoribus in regnis suis predictis et quolibet eorundem presentes et posteri ad invicem ex nunc sunt et erunt boni, veri, fideles amici ac puro et sincero corde se mutuo diligunt et diligent.

Item quod ad invicem unus alteri dabit bonum, legale et fidele consilium per se vel alium petendum, sicut in suis propriis negotiis faceret, juxta posse suum et propriam conscientiam suam.

Item quod unus non erit directe vel indirecte, publice vel occulte contra alium quocumque tempore, modo sive forma.

Item quod non confortabit, nec juvabit scienter inimicum seu inimicos, adversarium seu adversarios alterius in aliquo seu ali-

quibus que tangant seu tangere poterunt alium, quocumque tempore, modo seu forma.

Item quod quilibet eorum tenebit et fideliter observabit omnia et singula supradicta.

Item nos predicti procuratores, juramus et ad invicem promittimus bona fide in animas cujuslibet predictorum dominorum nostrorum per juramenta nostra super sancta Dei Evangelia corporaliter manu tacta, prestita, prefato etiam domino rege Francie nunc presente mandante et precipiente michi Roberto Bertrandi procuratori suo predicto, quod tractata, ordinata, facta, composita, firmata et procurata per nos in premissis et quolibet premissorum et conditiones quas super hiis adjecimus, observabunt dicti reges et principes et tenebunt bona fide pro se et suis heredibus seu successoribus in regnis suis predictis presentibus et futuris quos ad hoc specialiter et expresse obligamus, et quod ea nichilominus ratificabunt dicti reges et principes infra festum Resurrectionis Domini proximo venturum per suas litteras sigillo suo pendenti munitas ad perpetuam roboris firmitatem. Sane si unus dictorum dominorum regum et principum habens guerram seu verisimiliter habiturus eandem, requirat alterum de gentibus armorum per mare seu per terram et de navigiis, navibus et galeis suis seu subditorum suorum, et ille qui sic requiretur non habeat guerram tunc, vel si habeat sit talis vel adeo modica, quod non obstante impedimento guerre quod haberet posset sufficere ad guerram sustinendam hujusmodi et ad faciendum id quod requiretur, volet et permittet quod dictus requirens possit habere de gentibus armorum dicti requisiti et subditorum suorum per mare seu per terram et de navigiis, navibus et galeis de voluntate et consensu dicti regis sic requisiti et dictarum gentium armorum et dominorum navigiorum, navium, seu galearum hujusmodi, cum missionibus et expensis dicti requerentis, proviso tamen statui, tuitioni et defensionis regni seu regnorum regis qui sic fuerit requisitus. Hoc ultimum promittimus nos predicti procuratores ad invicem, quilibet nomine procuratorio domini sui et pro ipso secundum arbitrium et conscientiam illius qui requiretur, non tamen sub vinculo juramenti prestiti a dictis regibus, prout supra in eorum procuratoriis continetur, et a nobis predictis procuratoribus in alligationibus et amicitiarum ligaminibus antedictis.

In quorum testimonium et munimen, presentes litteras per Johannem notarium publicum subscriptum scribi et in publicam formam redigi fecimus et sigillorum nostrorum appensionibus communiri.

Acta, tractata, ordinata, facta, jurata et firmata fuerunt premissa in presentia prefati domini regis Francie hoc mandantis et precipientis, prout ad eum spectat et pertinet ac testium et mei Johannis notarii publici infrascriptorum apud Luppam prope Parisius anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto, indictione quinta secundum consuetudinem parisiensem, mensis decembris die vicesima septima, pontificatus Sanctissimi Patris et domini nostri domini Benedicti divina Providentia Pape XII anno secundo. Presentibus reverendis patribus dominis Dei gratia Johanne de Viana, Remensi archiepiscopo, Guidone Baudeti, episcopo Lingonensi, domini regis Francie cancellario neenon et magnificis et egregiis viris domino Johanne, regis Francie primogenito, duce Normannie, Andegavie et Cenomanensi comite, domino Carolo, comite Alençonii, domino Radulpho, constabulario, domino Milone, domino de Noeriis, buticulario, domino Matheo de Tria, marescallo Francie, dominis Anselmo, domino de Joinvilla, Johanne de Castellione, Gaufrido de Bellomonte, cambellano regio, Guillelmo Flote, domino de Revello et Hugone Quiereti, admirato maris in regno Francie, militibus, dicti domini regis Francie consiliariis, dominis Alfonso Martini, Hugone de Alcana, militibus, dicti regis Castelle testibus, ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Et ego, Johannes Rufi de Cruce, clericus Lausannensis diocesis, apostolica publicus auctoritate notarius, premissis dum per prefatos dominos procuratores sic ut predicatur agerentur, tractarentur, ordinarentur, jurentur et firmarentur in presentia dicti domini regis Francie premissa mandantis et precipientis prout ipsum tangunt et ad eum spectant et pertinent, una cum prenomatis testibus presens fui et ea ut supra leguntur, de mandato ejusdem domini regis Francie et ad rogatum dictorum dominorum procuratorum in hanc publicam formam scripsi, signumque meum presenti instrumento publico duplicato, una cum sigillis dictorum dominorum procuratorum inferius appensis, apposui consuetum in testimonium veritatis.

Nos autem omnia et singula tractata, facta, composita et procurata per dictum procuratorem nostrum in premissis et quolibet premissorum, in vim juramenti per eum in animam nostram, ut premittitur prestiti, rata et grata habuimus et habemus, et condiciones quas super hiis idem procurator noster adjecit observabimus et tenebimus bona fide pro nobis et nostris heredibus seu successoribus in regno Francie predicto presentibus et futuris, quos ad hoc specialiter et expresse obligamus, et ea volumus, laudamus, approbamus, ratificamus et ex certa scientia, auctoritate nostra regia

tenore presentium confirmamus ad perpetuam roboris firmitatem. Quod, ut firmum et stabile perpetuo perseveret, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri.

Datum apud Nemus Vicennarum, anno domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto, mense februarii.

(*Sur le repli*): Per dominum regem in consilio.

Collatio facta est per me cum originali.

P. Caisnot,

(Scellé en cire verte sur lacs de soie verte et rouge).

Archives Nat., J 601, n° 35.

2

Benoît XII autorise Jean de Vienne, archevêque de Reims, à se rendre en Castille.

Avignon, 24 février 1337.

Venerabili fratri Johanni archiepiscopo Remensi.

Cum carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris de tue circumspectionis industria ac fidelitate confusus, te pro certis arduis suis negotiis communem profectum suum et regni sui tangentibus, ad carissimum in Christo filium nostrum Alfonsum regem Castelle illustrem, sicut per litteras ejusdem regis Franchorum accepimus, in instanti destinare proponat : nos in hiis et aliis que dictorum regis Franchorum et regni prosperitatem et profectum respiciunt, cum votis ejus gratis affectibus concurrentes, fraternitati tue absentandi te ab Ecclesia tua et eundi ad requisitionem ejusdem regis Francorum ad prefatum regem Castelle et partes Ispanie ac standi et morandi in illis partibus quantum commoditas et expeditio prospera negotiorum que tibi commissa fuerint postulabunt, liberam et benignam tenore presentium licentiam impartimur. Datum Avinione, v kalendas martii, anno tertio.

Litt. communis.

Reg. Vat., 124, n° LXII.